



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

67. Fer. 5. De Scandalo Apostolorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 4. Dom. Sexages.* 107

pax & solennitas, deliciae & gloria, pulchritudo, sanitas & abundantia exeant. Thren. 2.

*Conf. 3. Verba D. Ambr. Lib. 3. Epist. 25. Ideo Christus exiit de civitate, ut vos exeuntes de hoc mundo supra mundum sitis: Ibat enim à mortalibus ad immortales. Duo sunt, quae nos supra mundum erigunt: Contemptus mundi, & amor Dei: utrumque rogabo à Domino. 1. Per amaritudinem, quam de torrente huius seculi hausit, ut & mihi seculum amare sciat. 2. Per amorem, quo eam amaritudinem hausit, ut obtineam amorem Dei, quo habito, gratiae Dei nunquam deero, dicente S. Mechtilde: Lib. 1. c. 5. Qui amorem Dei in se accipit, quidquid agit, Deo gratissimè erit.*

MEDITATIO LXVII,

*Feria 5. Dom. Sexages.*

*De Scandalo Apostolorum.*

**A**spiciam sibi praesidentes instar aviculæ implumis è nido in sublimè deferri, & in praecipitia immania provolvi. Petam agnoscere propriae confidentiae fragilitatem.

*Conf. 1. Verba Domini: Tunc dixit illis Iesus: Omnes (Iudæa excepto, qui non erat ibi, nec passus est scandalum, sed fecit) vos, qui me tueri, aut sequi, vel saltem non fugere deberetis, scandalum patiemini in me, propter quod in me videbitis, in ista nocte tenebrarum,*



nocte cęcitatis: Ego enim res accōmodo temporibus, nocte istā, quā me vobis totum donavi. O ingrati! vere nox nō mea, sed vestra, quā cōmunionē sacrā firmiores esse deberetis.

*Conf. 2.* Quōd scandalum patientur in Christo, ita expetente Diabolo, qui sine licentia nihil potest: id autem Patre cęlesti iustē, & sanctē permittente: Scriptum est enim: *Percutiam Pastorem, seu: Percute*, ut habet Zach. 13. Quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur: *Et dispergentur oves gregis*, ut major appareat vis reparantis, quā pręservantis.

*Conf. 3.* Causam scandali non esse Christum: quia, ad quod quis tenetur ex conscientia, dum id facit, non est causa, si alius inde scandalizetur. Sed ego mandatum habeo à Patre, ut animam meā ponam pro multis, ideo nec vincula mea erunt causa scandali vestri: Quia vos liberi, me auctore, abibitis: Neque impotentia mea, quia eam in Malchi sanatione ostendam vigere. Restat igitur ut causa scandali vestri pręsentia vestra sit. Cohorrescam ad pericula, in quibus propter tentationes versamur singuli, cū nec ipsi, pro quibus Christus oravit, Apostoli fuerint à lapsu incolumes, quorum fides etsi non defecerit, omnes tamen scandalizati sunt, culpa proprię pręsumptionis,